SYNOPSIS THESAURI LITURGICI
ANTIQUIORA MONUMENTA COMPLECTENTIS
AD SACROS RITUS PERTINENTIA.



VIRIS ERUDITIS,
AC RERUM LITURGICARUM STUDIOSIS
EMANUEL DE AZEVEDO SOCIETATIS JESU.

QUÆ barbarorum incursiones, civilesque turbæ Europam omnem superioribus ætatibus afflixerunt, eæ inter ceteras ærumnas acerbam hanc bonis artibus, luctuosamque calamitatem attulere; ut intermissis litterarum studiis, plutima antiqua monumenta intercciderent; multa in angulis bibliothecarum laterent. Itaque de conquirendis iis, educendisque in lucem cogitarunt viri docti, maxime a XVI. sæculo; sub cujus finem plurima, & ea quidem præclara collegit vir apprime eruditus Henricus Canisius, qui laudat idem opus agressos ante se Marcum Velserum Duumvirum Augustanum, ejusque germanum Antonium Velserum, Georgium Lautherium, Jacobum Gretserum. Post Canisium enituit sane industria Jacobi Sirmondi, Lucæ Dacherii, Leonis Allatii, Joannis Cotelerii, Stephani Baluzii, Joannis Mabillonii, Bernardi Montfauconii, Edmundi Martene, Ursini Durand, Bernardi Pezii, Jo. Georgii Eccardi, Ludovici Muratorii, Joannis Lamii, aliorumque, qui titulo *Antiquarum Lectionum, Tomi Singularis, Analectorum, Bibliothecæ, Spicilegii, Collectionis, Collectaneorum, Anecdotorum, Monumentorum, Fasciculi, Thesauri, Miscellaneorum, Deliciarum*, aliisque similibus opera antiquorum Scriptorum in unum collegere, & in lucem ediderunt. Prætereo Eduardum Brovvn, atque alios quosdam, qui laudem, quam studio suo diligentiaque paraverant, acerbo nimium in Romanam Ecclesiam odio deturparunt. Hi viri eruditissimi, cum sepositos bibliothecarum forulos excuterent, nullum ferme genus litterarum elabi sibi e manibus passi sunt, quod in publicum non educerent atque evulgarent: illud nimirum verebantur, ne quid ab eis dimissum excideret atque omnino interirer. Extitere autem, qui ex infinita illa rerum copia certum sibi genus deligendum putaverunt; atque alii ad historica monumenta, alii ad Patrum, & Auctorum Ecclesiasticorum opera, alii ad scripta conquirenda, vel severiorum disciplinarum, vel humaniorum litterarum, curam cogitationemque converterunt.

Equidem, ut verum fatear, eos præ ceteris semper adamavi, qui liturgica sibi monumenta, quæ e tenebris vindicarenr, depoposcerunt: quod maxime præstitere Jacobus Pamelius, Melchior Hittorpius, Joannes Mabillonius *in itinere Italico*, Edmundus Martene *de antiquis Ecclesiæ ritibus*, atque *in operibus suis* Vener. mem. Card. Thomasius. Quanti faciendum sit hoc genus monumentorum, vel hominum nomina declarant, qui in eo elaborarunt: quos sane nostræ, vel superioris, sive antiquioris ætatis doctissimos fuisse, nemo ignorat. Quis autem putet viros multiplici rerum, ac facultatum ferme omnium cognitione instructos, cum præclariora esse intelligerent, quibus animum & studium admoverent, futilia quædam, atque hominum eruditorum operâ plane indigna, maluisse sectari? Sed neque hoc illi existimarunt, neque hanc opinionem suscipere, nisi a ratione desciscere plane vellent, potuerunt. Cum enim præstantissimum genus atque utilissimum litterarum studium sit illud, quod ad servandum Fidei depositum, tuendumque ab inimicorum manibus impenditur; nulla, ut id præstetur, vel brevior patet, vel facilior via, quam quæ traditionem afferendam sibi sumit, atque hanc fuisse præteritorum omnium sæculorum Fidem demonstrat. Hanc vero communem, neque unquam interruptam in termissamque traditionem liturgica præcipue monumenta declarant. Etenim unus, vel alter antiquus Scriptor, quos in lucem proferas, suæ nimirum opinionis, vel ad summum ætatis unius plerumque est testis; monumenta vero hujusmodi cum publica essent, publicoque Fidelium cœtu ac conventu celebrata; cum neque ad arbitrium unicuique commutare, neque abolere, aut instaurare liceret, communem ferme plurium ætatum traditionem confirmant. Quamobrem opera hæc in liturgicis libris colligendis posita, non ad Ecclesiasticam duntaxat eruditionem quamdam pertinet; ut aliquid addat ad discendum cognoscendumque non illiberale; sed ad veram, solidamque Theologiam; ut nova quædam tela suppetant ad frangendam Novatorum audaciam & temeritatem. Quod profecto declaratum est patrum nostrorum memoria. Nam cum Matthias Flaccius Illyricus Centuriatorum Magdeburgensium princeps magnum pro Lutheranis partibus præsidium nactum se esse putasset, invento liturgico monumento; idque Argentinæ anno 1557. vulgasset hoc titulo: *Missa Latina, quæ olim ante Romanam circa* 700. *Domini annum in usu fuit, bona fide ex vetusto authenticoque codice descripta*, illud diligentius expendentes viri Catholici, viderunt mirifice cum Romanæ Ecclesiæ Fide consentire. Itaque ut Homericum illum Hectorem ferunt, adhibitis armis Achillis, maximas in Grajorum castris cædes edidisse; sic isti oblata ab inimicis tela ad eos oppugnandos, atque afferenda Eucharistiæ, Confessionis, & suffragiorum pro mortuis dogmata arripuerunt; in primis Guillelmus Peyratus *in lib. 2. de histor. Capellæ Reg. Franc. cap.* 13. Rem susceptæ opinioni contrariam atque adversantem rationibus suis experti Hæretici homines productum ab ipsis monumentum abolere conati sunt: non licuit tamen, nostrorum diligentia atque industria, qui sæpius illud ediderunt; ut septies jam vulgatum sit, quemadmodum Petrus le Brun *de Miss. rit. dissert.* 5. narrat, a Carolo Cointio *in annalibus Francorum*, a Cardinali Bona *de rebus liturgicis*, ab Edmundo Martene *de antiquis ritibus*: ut omittam Hugonem Menardum, Petrum ipsum le Brun, ceterosque, qui illud

monu-

monumentum explicandum susceperunt; in primis vero Honoratum a S. Maria, qui antiquitatem ejus præ liturgicis omnibus monumentis Latinis asserere longa disputatione conatus est. Quam ergo in uno monumento & Catholici & Hæretici vim inesse, dignitatemque senserunt, nullisne præterea aliis hujusmodi monumentis tribuendam arbitrabimur?

Hoc fuit quod mentem mihi injecit, stimulosque addidit ad conandum aliquid, quale in sacris aliis monumentis, præsertim Patrum scriptis colligendis tam multi fecerunt; ut in iis collectionibus numerandis justum volumen impenderit Thomas Ittigius. Videbam enim, quamquam ejus essent utilitatis quam commemoravi, multa tamen inveniri ad sacros ritus spectantia, quæ vel neminem hactenus nacta essent qui ea extraheret in lucem, vel ita fuisse educta, ut non eorum ipsorum, sed alterius rei gratia prolata fuisse viderentur. Nam vel extant cum aliis alterius omnino generis immixta; ut Mabillonii illa: qui Mabillonius & universum Italicum iter suum narrare voluit, & multa præterea Auctorum Ecclesiasticorum opuscula, quæ ea occasione reperetat, adjecit; vel longis tractationibus inserta atque interrupta, quod cernere est in libris Martene de antiquis ritibus; vel monumentis ipsis liturgicis Ecclesiarum usu consecratis adjunguntur liturgicorum Scriptorum libri: quod factum est in Historpii collectione. Nobis opportunissimum fore visum est, si monumenta illa, quæ fuissent ad Ecclesiarum usus conscripta, & publicam quodammodo auctoritatem, non privati Scriptoris afferent, seponeremus, eaque simul ceteris dimissis colligeremus. Hoc ergo facere, Auctoribus viris gravissimis & rerum hujusmodi scientissimis, constituimus; corpusque veluti quoddam efformare, sive ut nos vocamus *Thesaurum liturgicum*. Liturgiei enim nomen in ea ampliori significatione summus, quod non ad Missæ sacrificium dumtaxat, sed ad ceteros sacros omnes ritus refertur; referebaturque olim, quemadmodum Bona, Ducangius, aliique adnotarunt. Sed de nomine ipso *Thesauri* erit qui nobis fortasse succenseat vel ipsius vocabuli, ut ipse putat, peregrinitate, vel ambitione quadam; quod gloriosius sit, quam ut a nobis usurpandum videatur. Quibus hominibus reponimus primum vocis ipsius usum apud antiquos probatosque Auctores, apud quos sæpe nihil aliud quam congeriem quamdam rerum collectionemque sonat, vel malarum etiam; non apud Plautum solum, sed etiam apud Athanasium *in epistola ad Amunem*. Deinde aliorum ante nos hoc eodem sensu usurpationem, clarorum hominum atque doctorum; qui vocum collectam ab ipsis copiam vel Græcarum vel Latinarum *Thesaurum* appellaverunt. Addimus virum certe non obscuri nominis Edmundum Martene, qui collectionem illam suam anecdotorum *Thesaurum* inscripsit, aliosque simili nomine in pari argumento versatos. Quod si amplum quid ac magnificum referre Operis inscriptio videatur, detur hoc argumenti ipsius dignitati, quo nihil diximus esse præstantius; vel si hoc etiam adjungere mavis, sanctius. Thesauri nomen de eo præcipue usurpatum, quod sacras res contineret, testis est Hesychius in Græci vocabuli Θησαυρὸς explicatione; & Joannes Meursius, qui *lib. 3. de Athen. Attic. cap. 7.* locum ita appellatum Athenis fuisse docet sacræ pecuniæ, & Deorum simulacris servandis destinatum. Quid autem sanctius liturgicis libris, quos proximum post canonicas Scripturas locum obtinuisse vir eximiæ eruditionis Card. Bona adnotavit, quos una cum ipsis Bibliorum libris in Ecclesiæ Secretario sive Diaconico ut Græci vocant asservatos ex Paulino *epist. 32.* constat? Quamobrem si Thesauri nomine sacræ Scripturæ & canonici ipsi libri præcipue nuncupantur; quod egregie tradit pluribus in locis, ut *homil. 3. & 60. in Genesim* Chrysostomus; cur hujusmodi nomen vel liturgicis libris, vel collectioni quæ eos continet, denegemus? Quin etiam eam ipsam esse eorum apud veteres usurpatam nuncupationem puto, atque illos libros thesauro Ecclesiastico olim contentos. Nam Thesaurarii vetus illa dignitas ad horum quoque librorum custodiam spectabat; quod inter cetera significant leges Alphonsi IX. Castellæ Regis *par. 1. tit. 6. lib. 6.* ubi Thesaurarii nomen ipsum explicatur his verbis *Tesorero tanto quier dezir como guardador de Tesoro, ca a su officio conviene de guardar las cruzes, e los calices, e las vestimentas, e los libros*. Valeat igitur argumenti præstantia vel Majorum loquendi usus, ut hanc a nobis ambitionis criminationem depellamus. Sed fatendum tandem est quod celatos alios velle prudentioris forte hominis fuisset, non tamen ejus qui præ ceteris ingenuus audire malit & sit; fatendum inquam, hoc etiam placuisse Thesauri nomen, illudque indere huic collectioni nostræ maluisse; quod non exiguas in ea opes conclusum iri confidimus, atque ejus quidem generis ad quod thesauri nomen potissimum pertinere Joachimus Camerarius *de re nummar.* contendit; scilicet *magis reconditas & abstrusas*.

Liceat nimirum, fortasse homini sibi blandienti, vel qui amicorum amori fidem habuit, gloriari; tam multa harum rerum vidisse, tot rituum sacrorum monumenta legere, tractare, excutere potuisse, ut quæcumque alii collegerunt, si cum his nostris quæ edere paramus, comparentur, vel numero paucissima, nec multum antiquitate (ut modeste dicam) aut dignitate superiora ab æquis rerum æstimatoribus judicanda sint. Atque hactenus quidem codices vel ineditos, vel ex autographis emendatos ad quinquaginta numeramus. Fuit hoc non tantum diligentiæ nostræ (quamquam hujus quoque partes non omisimus) quam loci ubi degimus, & virorum quibuscum vivimus conditionis. Etenim cum Romæ sim, ubi SS. D. N. BENEDICTI XIV pro summo, quo optimus idemque sapientissimus Princeps in litteras litterarumque fautores studio fertur, privatam bibliothecam adire licet, quæ est hujusmodi monumentis locupletissima; aditum insuper in celebriores Urbis bibliothecas, præsertim vero Vaticanam, instructissimum illud nobilissimumque penu, nactus fuerim; cum Eminentissimus Dominicus Passioneus, qui & præclarissimis se ipse litteris & bibliothecam suam monumentis exquisitissimis instruxit, quæcumque volui, ad legendum atque excutiendum suppeditaverit; nil sane mirum his me præsidiis aliorum gazas opesque vicisse. Accessere subsidia ab his quibuscum vivo, nimirum Sociis nostræ hominibus, quorum nonnulli utilem sane mihi operam navarunt. Nec vero parum est quod debeam externis hominibus; quos quidem enumerare omnes, qui mihi ad hoc opus auxilium aut attulerunt, aut allaturos se receperunt, infinitum esset, & eorum quidem merita in ipso Opere libens commemorabo: hic præterire nullo modo possum Cl. Josephum Blanchinum Congregationis Oratorii Presbyterum, qui omnia quæcumque plures annos abditus in Romanis bibliothecis collegerat, cum meum ipsi consilium explicassem, est liberalissime

beralissime elargitus: Cl. Antonium Baldani ex SS.D.N. intimis Sacellanis acerrimi virum judicii atque exquisitæ eruditionis, qui plurimas animadversiones privato suo usui destinatas mihi ad publicam omnium utilitatem communicare non recusavit: Illustrissimum Abbatem Fridericum Altanum ex Comitibus Salvani, qui simul ac de cogitatis his nostris inaudiit, quicquid ad Patriarchicum Ecclesiæ Aquilejensis ritum spectans magno studio solertique diligentia collegerat; id omne se mihi subministraturum humanissime promisit. Denique cum duo sint in Lusitania archiva antiquissima, eademque præclarissimis monumentis abundantia, Alcobatiense Ordinis Cisterciensis, & Conimbricense monasterii S. Crucis Canonicorum Regularium; quæ ad sacros ritus faciunt, secernendi ex his munus susceptum est a carissimis fratribus meis Doctore F. Francisco Joseph Ordinis Cisterciensis, & D. Joanne a S. Maria ex Canonicis Regularibus Reformatis Congregationis S. Crucis Conimbricensis: quos non dubito peramanter atque etiam impigre creditæ eis curæ satisfacturos; ac quæ præterea totius Lusitaniæ archivis bibliothecisque abduntur, investigaturos; præsertim postremum ex illis, cum & sacrorum rituum studia acerrime promoverit, & sit in scrutandis Veterum monumentis accuratissimus, studioque Dei gloriæ vehementer incensus; industriam etiam operamque in suis edendis Sanctissimo Domino Nostro probaverit amplissimamque commendationem acceperit. His etiam ne ampla seges ac materia desit, in qua diligentiam suam exerceant, non equidem vereor; Nam id babuit regio illa, ut præteritis ætatibus bello occupati homines, vel subtiliorum rerum indagatione, de antiquis monumentis proferendis in lucem nihil, aut parum omnino cogitarent. Quæ tamen cura nostrâ hac ætate accessit liberalitate ac providentia Invictissimi Regis Joannis V., qui nobilissimam eruditionis partem bistoriam pæne ab interitu vindicavit Academiâ constitutâ, adscitisque in eum cœtum viris nobilitate ac doctrina præstantissimis.

His tot tantisque monumentis, quæ partim hominum humanissimorum doctissimorumque munere adipiscimur, partim nostra ipsi opera collegimus, addemus industriæ ac diligentiæ nostræ partes in illis recensendis exhibendisque exacte ad exemplorum fidem; opportunis etiam sed brevissimis animadversionibus illustrandis: in quibus pro rerum multitudine & varietate atque etiam obscuritate profecto veremur, ut dignum aliquid eruditioribus viris atque in hujusmodi rebus exercitatissimis proferamus. Verum sive pauca quædam de multis afferamus, sive vulgaria obtrudamus, constabit nihilominus Thesauro nostro pretium suum. Meminisse enim volo viros doctissimos Magorum illorum *thesauros* nominari arculas, sive ut Epiphanius appellat πήρας: admonet vero Isidorus Pelusiota lib. 2. epist. 4. explicans Apostoli illud *Habemus thesaurum in vasis fictilibus*; nos Divinæ sapientiæ opes in sacrosanctis Scripturis tamquam in thesauris habere *vilibus & indoctis verbis atque exemplis conclusas*. Si ergo illis nihil ob eam rem interit pretii; neque monumentis his ex quibuscumque vulgaribus aut etiam indoctis animadversionibus interiturum speramus.

Restat ut de ordine dicamus, quem in his monumentis producendis servare decrevimus: is vero est, quem commodissimum judicavimus ad nostrorum temporum ritus cærimoniasque cognoscendas. Etenim maximus hic quoque est fructus, quem ex veterum cærimoniarum tractatione percipere possumus; ut sive nostrarum quibus nunc utimur antiquitatem cognoscamus; sive mutationes, quæ in disciplina non infrequenter occurrunt, earumque tempus teneamus. Habet primum illud plurimum Christiano homini delectationis, in cærimoniis his nostris sacrisque functionibus imaginem quamdam videre antiquissimæ Ecclesiæ: valet etiam ad Heterodoxorum convicia criminationesque retundendas, qui novitatem assidue nobis exprobrare non desinunt; quod præcipue fecere Magdeburgenses, atque Hospinianus, Basnagius, ceterique, & nuper Conyers Midleton in quodam libello suo objecit: plurimas vero sacrarum cærimoniarum antiquissimas esse, contra eosdem olim Baronius in primis & Gretserus, postea Bona, Mabillonius, Bossuetius, Thomassinus, Martene demonstrarunt. Et vero illi injuria recentioris memoriæ institutiones, mutationesque, quæ disciplinæ sunt, calumniantur. Quemadmodum enim, ut inter ceteros bene Thomassinus docuit, inique faceret, qui in communi vita eumdem semper amictum, non pro temporum varietate varium, requireret, aut qui antiquissimis ætatibus usitatum revocare contenderet; sic qui in hujusmodi rebus, quas prudentia postulat ut hominum moribus accommodentur, antiquitatem semper exigunt atque inculcant. Verum cum legitimam demonstramus fuisse commutationis illius causam, cum temporum varietate ac vicissitudine necessario inductam; tunc enim vero necesse est vel hominum furiosorum criminationes conticescant. Hoc ergo ut facere commodius possimus, placuit eum ordinem in veteribus libris digerendis sequi, qui eos cum nostris veluti comparat ac componit; quos quidem esse numero quinque nemo ignorat *Missale*, *Breviarium*, *Pontificale*, *Cæremoniale*, *Rituale*.

Itaque primam operis partem facimus eam, quæ ad *Missæ Sacrificium* pertinet. Hanc uberrimam omnino lectissimamque segetem attigit olim Jacobus Pamelius in collectione illa sua, quam an. 1571. edidit, inscripsitque *Missale Latinorum PP*. Nos hic antiqua Sacramentaria sive libros Sacramentorum, sive Missales libros collocamus; primumque facimus Leonianum. Maximi hoc pretii monumentum esse, quod vir Clarissimus mihique amicissimus Joseph Blanchinus primus in lucem protulit *in prolegomenis tom. 4. Anastasii Bibliothecarii*, nemo qui illud legerit inficiari potest. Hoc luculenta dissertatione illustrare aggressus est vir doctus, quam ibidem repræsentabimus. Subdemus huic Gelasianum Sacramentarium, utpote, Mabillonio teste, antiquissimum; tum Gregorianum cum Cl. V. Antonii Muratorii Collectione, necnon cum aliis decem MSS. Codd. collatum; denique Missam Illyrici, quam diximus perhiberi antiquissimam.

II. Tomus. Hic singulares veteres libros, quorum usus erat in Missæ Sacrificio conjiciemus *Lectionaria*, *Antiphonaria* &c.: repræsentabimus Comitem sive Lectionarium S. Hieronymo tributum, Antiphonarium S. Gregorii, atque alia, quæ Jacobus Pamelius edidit, vel apud Martene ceterosque leguntur; nos vero ad vetustos Codd. MSS. emendavimus ac supplevimus.

III. Tomus *Liturgiæ præcipuæ a Romana diversæ*: ac primum Ambrosiana; in qua exhibenda, ut viris sacrorum rituum studiosis satisfacturos speremus, facit Eminentissimi Cardinalis Puteobonelli religiosissimi ac sapientissimi Principis humanitas ac beneficentia, cui multum ob eam rem nos obstrictum iri profitemur.

Adde-

Addemus huic Aquilejensem; deinde Hispanam, Gothicam, Isidorianam, Mozarabicam, aliasque attingemus. Ipsum vero Missale Mozarabum, ut multorum votis obsecundemus, quod rarissimum est, & Liturgiam antiquissimam continet, dabimus integrum. Quam occasionem nacti, Hispanorum hominum pietatem, doctrinam, studiumque divini cultus ostendemus. Liturgiæ Mozarabicæ Psalmodiam & Breviarium adjungemus quale editum olim est a Cardinali Ximenes: indicabimus tamen in libri margine orationes, quæ S. Isidori ætatem vel proxime attingunt, vel sunt fortasse antiquiores. Curam etiam diligentiamque nostram profitemur in erratis emendandis, non typographi quidem vitio, sed exemplorum Ximenianæ editionis; ad quod præstandum maximum nobis subsidium positum est in Veronensi Orationario Gothico-Hispano a Cl. Blanchino edito *tom.I. in fin. part.I. in comment. ad oper. Ven. Card. Thomasii*. Accedent etiam ea, quæ nobis viros eruditissimos ex Hispania allaturos speramus. Quicquid vero in hanc rem præstabitur a nobis, quod eruditis viris pœnitendum non videatur, aut quicquid commodi alii haurient, volo omnes debere Emo Card. Silvio Valenti Gonzaga magno litterarum præsidio ac beneficentissimo litteratorum hominum Mœcenati, qui cum lectissimis libris bibliothecam suam referserit; cum suscepta opera quælibet in publicam utilitatem omni ope juvet, nobis quoque in hac parte atque in ceteris multum liberalitate atque humanitate illa sua singulari contulit.

IV. Tomus *Antiquus Cursus*: complectemur vero omnia, quæ ad Ecclesiasticam psalmodiam spectant; Ambrosianam etiam, Aquilejensem, Gallicanam, &c.

V. Tomus *Ordines Romani*. Hanc primam partem Romani Cæremonialis vulgavit Mabillonius, quam nos multo ampliorem faciemus ope codicum antiquissimorum, novasque observationes jam editis a viro doctissimo addemus; quæ vero homines ceteroquin docti, & sacrorum rituum scientissimi vel locorum distantia, vel penuria codicum optimæ notæ in illis edendis peccarunt, corrigemus; ineditos aliquot Ordines Romanos eosdemque antiquos vulgabimus.

VI. Tomus *Rituum Ecclesiasticorum Libri*. Hoc titulo editum fuit celeberrimum opus a Christophoro Marcello, quem ideo Paris de Crassis insimulavit quasi alterius opus sibi ascripsisset, & mysteria cærimoniarum Pontificii sacelli evulgasset. Alterum hoc criminationis caput nihil obtinuit, cum sæpius liber ille eruditis omnibus viris plaudentibus fuerit divulgatus. Nos hoc præterea curabimus, ut idem liber ad Augustini Patricii, qui verus illius auctor esse putatur, autographum restituamus notatis locis a Marcello interpolatis, quos Paris etiam de Crassis notavit. Librum vero sacrarum cæremoniarum a Paride eodem conscriptum, aliaque opera ferme hactenus inedita ejusdem auctoris publici juris faciemus, augebimusque opportunis animadversionibus, necnon insigni appendice.

VII. Tomus *Liber Diurnus Romani Pontificis*. Hunc Holstenius edere cœperat, vulgavit vero noster Garnerius. Nunc vero ad fidem antiquissimi codicis Ven. monasterii S. Crucis in Jerusalem de Urbe diligenter exactum repræsentabimus, atque insignibus monumentis locupletatum.

VIII. Tomus *Pontificale Romanum*. Habebit hic liber anecdotorum monumentorum insignem appendicem adjunctam, & quæcumque ad hoc argumentum spectare possunt.

IX. Tomus *Rituale Romanum*. Hoc quoque anecdotorum appendice non exigua, nec vulgari auctum dabimus. Omittimus *Cæremoniale Episcoporum*, quod recentius opus sit; quæ vero ad rem nostram faciunt, atque olim erant in usu, *Pontificali libro* continentur.

X. Tomus *Libri Pœnitentiales*. Erat hæc pars quædam antiqui *Ritualis*. Illos vero ad manuscriptorum codicum fidem nunc primum in lucem editos, vel secundis curis ad eosdem codices diligenter exactos evulgabimus.

XI. Tomus *Ritus in Sacramentorum administratione olim adhibitos* complectetur. Plurimos horum libellos sive Ordines operi suo *de antiquis ritibus* inseruit Edmundus Martene. Nos eorum præcipuos iterum edemus summa fide ad manuscriptos codices exactos, quibus accedent novi nondum evulgati.

XII. Tomus continebit *Ritus ad sacras Benedictiones & Ecclesiasticam disciplinam spectantes*. Horum etiam multos vir diligentissimus, ac de Ecclesiastica antiquitate optime meritus Martene in lucem produxit. Nos illos ita locupletabimus, ut novum opus videri possint.

Ita Thesaurus hic Rituum noster sive Collectio universa erit in duodecim tomos distributa; partes vero sive volumina multo plura complectetur. Nihil præter vetera monumenta inseremus; quæcumque tamen ad ea interius cognoscenda, & sive ad antiquitatem, sive ad usum probe tenendum spectabit adjicere, alienum ab instituto nostro non arbitramur. Itaque de singulis antiquissimis codicibus, quibus in hoc universo Opere adornando utemur, disseremus, eorumque antiquitatem investigabimus, & characterum specimina proferemus; ad illustranda obscuriora loca dissertationes, vel ab amicis, vel a nobis elucubratas adjiciemus. Præmonemus tamen, hac, quam præmisimus, divisione nos non ita fidem nostram obligasse studiosis sacrorum rituum, ut si Opere incepto (quod fieri facile potest, & procul dubio fiet) nova aliorum monumentorum accedat copia, aut quid forte eveniat, quod aliter lectorum commodo consulere suadeat, licitum non arbitremur nobis, aut librorum molem augere, aut propositam tomorum partitionem commutare.

Atque hæc Operis universi, quod edere meditamur, forma quædam est, & institutio. Cum vero consilium hoc nostrum sit, ut rituum Ecclesiasticorum studia augeamus, quantum in nobis situm est; præcipue vero Dei gloriam, Ecclesiæ Catholicæ Romanæ Fidem & dignitatem tueamur; ita sumus animo comparati, ut non solum æquo animo omnium judicia simus libentissime excepturi, sed gratiam etiam non vulgarem habituri illis, qui commodius aliquid, & proposito nostro aptius suggerent. Cum per tempus licuerit ampliorem exhibebimus Operis nostri summam, & quasi faciem, adjiciemusque dissertationem de libris Ecclesiasticis Latinorum, quam ab amico nostro, atque horum studiorum socio impetravimus. Interea, quid de toto hoc Opere Viri docti sentiant avide expectamus.

Ex Collegio Romano Kalendis Januarii anno 1748.